

AVICENNÆ DE CON- GELATIONE ET CONGLUTI- natione lapidum.

TERRA pura lapis non fit, quia continuationem non facit, sed discontinuationem, vincens enim in ea siccitas non permittit conglutinari eam: fiunt autem lapides duobus modis conglutinando & congelando. In quibusdam enim est dominans terra: In aliquibus verò aqua: Aliquando enim deccatur lutum primum, & fit quoddam quod est medium inter lutum & lapides, deinde fit lapis, lutum verò huic transmutationi aptius est viscosum: Quod enim continuativum est. In ripis quoque Geonisa est terra, quæ videtur in lapides converti in spatio 33. annorum: De aqua autem fiunt lapides duobus modis: Vnus est quod congelatur aqua guttatim cadens: Alius, quod descendit de aqua currenti quiddam, quod residet in superficie fundi aquæ illius, & fit lapis: Sunt .n. certa loca super quæ aquæ effusæ convertuntur in lapides, qui diversorum colorum sunt, & aquæ quæ sursum acceptæ non congelantur, quæ si prope alveum suum fundantur congelantur, fiuntque lapides. Scimus ergo quod in terra est vis illa mineralis quæ congelat aquas. Principia igitur lapidum vel fiunt ex substantia lutea, vel viscosa, vel ex substantia qua aqua vincit, quæ virtute quadam minerali congelatur: vel vincit in ea terra faciens eam coagulari: Eodem modo sal ammoniacum congelatur, sed non sufficit ad salis vis terrea percutare: sed adjuvat ipsum calor. Calor autem adveniens coagulat ipsum virtute occulta: & fortasse fit ex terra frigida sicca, ex aqua fit terra, cum vincunt eam qualitates terræ, & e converso. Est autem res quædam, qua utuntur quidam ingeniosi cum volunt rem siccam coagulare, quæ componitur ex duabus aquis, & dicitur lac virginis, quod est eius effectus certissimus: Fiunt etiam lapides ex luto per calorem solis, vel ex aqua coagulata virtute terrea sicca, vel ex aqua calida desiccata: Similiter quoque quedam vegetabilia, & quedam animalia convertuntur in lapides virtute quadam minerali lapidificativa, & fit in loco lapidoso: & discoveniunt subita quadam virtute, quæ exit à terra in hora tremotus, quæ convertit in lapides quod consequitur in illa hora hæc transmutatio corporum & animalium vegetantium, & quæ propinqua est ut transmutatio aquarum. Est autem impossibile, quod aliquod complexionatum totum convertatur in unum elementum, quia elementa & elementata trans-